

natu digniorem. Et sic ijdem duodecim vtrinque lapides fuerint.

Statueram in principio huius Corollarij, locos Sacrae scripturae de pontificali Aaronis ornatu (circa Ephod siue epomidē praesertim, & Essen [Hoschen, quod & pectorale iudicij, λόγυμ & κείσως interpretantur] siue Rationale in medio epomidis anteriore parte supra ipsam cordis sedem, duodecim gemmis distinctum) recitare ad verbum: vt habentur Exodi capitibus 28. & 39. & Leuitici cap. 8. Deinde Ezechielis 28. locum, in quo eadem ferè gemmae nominantur: & ex nouo Testamento Apocalypseos cap. 21. Sed cum hos locos quisque in suis Biblijs legere possit, breuitatis causa omisi.

Deinceps verò vt angustum quod superest huius quaternionis spacium vel in Typographi gratiam expleatur, veterum quorundam loca argumento praesenti apprimè conuenientia, adscribam.

(♫) 5